





15530.

Q. D. B. V.

THEMA JURIDICUM

ex L. 31. ff. de LL. & S. fin. J. quibus modis  
testam. infirm.

12.  
9/  
25

Principem Legi-

bus esse solutum,

Indultu Magnif. Jctorum VVitteberg. Ord.

PRÆSIDE

VIRO

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTISSI-  
MOQUE

DN. GODOFREDO Strauß/

J. U. Licentiatō

Fautore atq; Præceptore suo per-  
petim colendo,

*publicæ ventilationi subicit*

ad diem Augusti Anno 1668.


WOLFGANGUS ABRAHAMUS

de GERSDORFF, Eq. Lus.

---

Stanno Hakiano,





di  
Q  
ci  
de  
tr  
tu  
re  
pa  
va  
do  
at  
l.  
n  
h  
fe  
p  
p  
d  
la





## Præliminaria.



Non scitè minus quam verè, cujuscunq; etiam vox fuerit, pronunciasse videtur: *quot sunt capita, tot sunt sententia.* Significare enim voluit hisce verbis illius dicitur Auctor, sic nobiscum comparatum esse, ut non unum & idem omnibus indiderit ingenium natura sed diversis singulos esse affectibus præditos, diversasq; tacito sub pectore alere mentis cogitationes, Quodcunq; ab his summis cumubatur laudibus, ab aliis vicissim alto super cilio contemni animadvertimus. Nihil deniq; per totum fere terrarum Orbem se sistere posse arbitror, quod ab omnibus æque & unanimiter. l. laudetur l. vituperetur: quodcunq; se dat ad manum & ofores & amatores suos experitur. Ut de ipso summo majestatis fastigio paucissima quædam proferam *proh DEUM Immortalem!* quæ varie de eo sentit multitudo hominum. Sunt nonnulli splendore ejusdem adeo capti, ut cultu divino *Majestatem* dignam æstimarint. Idoneum exemplum præbent nonnulli ap. Curt. l. 8. p. m. 240. qui honorem divinum *Alexandro M.* exhibere non dubitarunt. A quibus non multum diversi sunt belli illi homines, qui Principi omnia licere quicquid modo libeat, serio statuunt, non observantes, quod ea, quæ *contra præcepta divina, contra existimationem, bonos mores, honestatem & pietatem pugnant, nec facere nos posse credendum sit* l. 15. f. de cōdit Inst: Ex hac sanè dementia laboravit *Julia Antonini caracalla* *la Noverca.* Cum n. eam *Antoninus* quasi per negligentiam  
A 2 maxima

maxima corporis parte nudatam aspiceret, & turpibus pra-  
visq; affectibus inflammiatus (erat enim eximia pulchritudi-  
ne) in hæc verba erumperet, *vellem si liceret, responsum de-  
dit impudentissima foemina, si libet, licet. An nescis Te Impera-  
torem esse, & leges dare non accipere* A qua, ut mihi quidem  
puto, non multum abhorret *Agrippina*, quæ iisdem fermè ver-  
bis libidinis cæstro percussa filium *Neronem* ad incestum soli-  
citas allocuta fuit. Objiciunt tamè se etiã alii, qui summæ axi-  
oma potestatis inter nimis angustos carceres cœrcere nõ ve-  
rentur, & propriis quoq; illud legibus audacter alligant,  
Principem ad minimum quoad vim directivã iisdem obno-  
xium facientes. vid. Dom. Soto lib. 1. quæst. 6. art. 7. & Dn. Hahn  
ad Wes. w. de LL. n. 7. Ego. vero talia mecum reputans statim  
impetum cepi disquirend, quantum per ingenii imbecillita-  
tem licebit, quibus nam sit obstrictus quibusq; solutus legi-  
bus Princeps. & quidem occasione L. 31. de LL. §. f. J. quib. mod.  
test. inf. Quandoquidem autem in nomine Domini nostri *JESU  
Christi ad omnia consilia omnesq; actus semper rectè progredimur*  
l. 2. p. C. de off. Præf. Præf. Afr. in ejus nomine & ego sequentem  
inchoo discursum, invocans supplici voce divinum Numen  
*ut capta hæc prosperè secundare velit!*

§. 1.

Antequã vero ipsam materiei ingrediamur arcem o-  
peræ pretium erit, prius vocabulorum Principis atq; legis e-  
ruere ambiguitates, earumq; varias acceptiones indicare,  
ut deinde metam quò collimamus eo felicius & melius attingere nobis detur. Constat itaq; abunde, Principis vocem non uno & eodem semper accipi sensu sed diversas pro substrata materia indicare significationes. Generaliter si capiatur omnes eos infert, qui *antecellunt alios vel opibus, vel meritis vel nobilitatis & virtutis stemmate* unde *Poeta* ita canit.

*Principibus placuisse Viris non ultima laus est.*

Dicit quoq; deinde *primum cujusq; ordinis* ita in Senatu olim Romæ Principem Senatus vocitabant illum, qui inlectione Senatus, quæ per Censores peracto Senatu fiebat, primo loco recitabatur Rõs: l. 7. c. 5. Antiq: Rom. Conferrebaturo  
vero

vero iste honor nemini ferè, nisi Consulari & Censorio, & qui semel hunc principatum obtinuerat is dum vivebat locum illum etiã apud alios Censores retinebat, nec nisi eo mortuo alius Princeps senatus declarabatur Ros. h. l. usurpatur etiam nostra vox pro *cujusq; negotii antesignano*, qua ratione sceleratissimi quicq; Principes delictorum audiunt l. 10. de serv. Corrupt. Alia notione qui *omnes emensi erãt gradus militia Principes agentium in rebus vocitabantur* l. 1. Cod: de Princip. ag. in reb. Porro Principis vocabulum accipitur pro *Auctore* h. c. eo qui invenit, vel instituit aliquid primus. Nam Cicero 1. Tusc. quaest. CXXIII. Inventorem & Principem conjungit. Et Caesar de bello Civili inquit: *Tantum apud homines Barbaros voluit esse repertos aliquos Principes belli inferendi* Dehinc *Princeps Equestris ordinis dicebatur is*, quem Censores primo loco scripserant in *Equitum tabulis sive Catalogo* Ros. l. 7. c. 10. *Principes Juventulis quocq;*, per illud insinuatur, qui fuerint Imperatorum filii aut nepotes, aut etiã alii sanguine juncti, ex quibus unũ atq; alterũ, quorũ præclarã illi indolẽ conspexerant, creare cõsueverãt ad quos Imperiũ transferri volebãt. Ros: l. 7. c. 13. Cujus instituti primum fuisse Autorem *Octavium Augustum* docemur ex *Cornelio Tac: lib. 1. Annal: quod deinde reliqui Imperatores retinuerunt, ut quem vellent successorem habere adoptarent, Principem Juventutis nominarent, ac deinde variis honoribus ornarent* Ros eod. loc.

§. 2. Genuina vero magis notione Princeps ad potestatem respicit Politicam neq; tamẽ id uno iterũ modo. Fieri quippe solet, ut interdum eos circumscribat, penes quos quidem est exercitium Jurium Majestaticorum, ipsam vero potestatem jure suo haud quaquam possident. In quorum numero non ultimus est *Venetorum Princeps* qui splendore magis, quam potestate tremendus est. Ex adverso indigitatur per vocem Principis, (liceat ita loqui) potestas ipsa in persona radicata. Quo sensu rursus in statu Aristocratico eadem conspicui vocitantur Proceres. Qui quidem eleganter secundum Varronem ita salutantur, quia eminent in ea, sicut in ædificiis muruli quidam, h. e. capita trabium, quæ

Proceres nominantur. Involvit deinceps etiam hoc nomen Principem Reipublicæ Monarchicæ præidentem, qui vel in specie, vel in genere considerandus venit. Princeps in specie & propriè sic dictus nullus est alius, quam Imperator Romanus l. 31. de LL. qui neminem recognoscit superiorem, scilicet in hisce terris, quamvis Summo rerum Moderatori DEo omninò subjiciatur, quod pariter inscriptionibus & titulis suis ipse præfatur. Nos DEi gratia &c. **Wir von Gottes Gnaden.** In genere Princeps innuit Monarcham quemlibet penes quem summa solum est potestas, de quo in præsens disciptaturi sumus.

§. 3. Quod vero attinet voculam legis, neq; illam ab omnibus liberam esse ambiguitatibus, sed in diversissimas quoq; abire notiones, luce apparet meridiana clarius. Definitur autem *lex* in l. 1. ff. de LL. & SC generaliter sumpta, quod sit *commune præceptum virorum prudentium Consultum, delictorum, quæ sponte vel ignorantia contrahuntur, coercitio, communiq; Reip. Sponsio.* Verum hanc definitionem si paulo penitius introspeciamus, non quoad omnia sese bene habere facile quis dixerit. Inprimis enim videtur reclamare l. 7. eod ubi dicitur quod *legis virtus quod sit permittere.* Jam in l. 1. præceptum substernitur: permittere vero & præcipere sunt invicem quam distinctissima & diversa. Ast tentari potest, & hic præceptum sumi generalissimè, ut complectatur tam ea quæ fieri debent, quam quæ non. Sed ita lex, quæ permittit, propriè non erit lex, sed (altem apparenter, quia ipsius legis est præcipere & imperare. Vel etiam concedi potest, quod lex permissiva lex propriè sic dicta sit, scilicet quatenus obligat Judices ad non puniendū eos, qui actus permissos exercent. Joh: de salas disp. 1. Sect: 4 n. 14. de legibus. Hinc Magnificus D. Zieglerus Patronus meus & Præceptor æviternum deventerandus in suis animadv. in Hug. G. inquit: *obligat permissio non agentem sed patientem, præcipit non respectu agentis, sed ejus qui resistere aut impedire agentem alias potuisset; vide & annot. Joh à Felden in H G. Coeterum dum hic lex denominatur coercitio delictorum quæ vel sponte, vel ex ignorantia contrahuntur,*  
facile



facile dubium oriri poterit, quamobrem ea puniri debeant, quæ ex mera ignorantia fiunt. Quicquid enim non cum mea voluntate perpetratur, quomodo illud justè punietur. Ast involuntaria quidem non tam atrociter puniuntur, quam quæ data opera committuntur, puniri tamen necesse est aliqua ex parte. Effectus enim generalis constitutionis aut legis est subjectos ad scientiam suiq; observantiam obligare. Ant: Perez Præl: in l. 1. Cod: t. XIV. de LL. & Const. Princip. Nō igitur Jcti tantū sed & omnes tenentur *scire leges easq; observare* l. 9. h. t. Porro & lex l. 2. h. t. *regula justorū atq; injustorū describitur*. Moralista vero potissimū finiunt legē *regulā quæ dirigat ad rectitudinem* Moralem. Hinc H. G. de J. B. & P. l. 1. c. 1. n. 9 ait *Lex est regula actum moralium obligans ad id, quod rectum est*. Sed agrè fert hanc definitionem, eamq; esse corrigendam opinatur Excellentissimus D. Johanafelden in annoti suis ad h. l. Et substituit aliam definitionem, nempe quod *lex sit enunciatio Universalis prescribens facienda vel omittenda in aliqua societate cum vi coactiva*. Magnificus D. Ziglerus ad h. l. Grotii denominat legem quod *fit ordo actibus humanis prescriptus*, quam definitionem merito retinemus & præferimus.

§. 4. Si ulterius progressum facimus, deprehendimus legem commode dispesci in *divinam & humanam* posse. *Fla* la à DEO, hæc ab hominibus proficiscitur Utraq; non unum admittit significatum. Quæ hominibus suos debet natales dimanat iterum in *Civilem & Gentium Sanctionem*. Illa mox in strictissimo sensu denotat jus, quod populus in Democratico statu, senatorio Magistratu interrogante veluti Consule constituebat §. 4. Inst: de J. N. G. & C. Ipsi enim Consules, summo quamvis jure Imperii ab initio creati l. 2. §. 16, de O. J. tamen post *legem Valeriam* in Magistratum tantum reciderunt l. 2. §. 13. eod. ut proprio jure leges condere haud poterint. Ex quo tempore illam constituendi leges potestatem populus Romanus sibi usurpavit l. 2. §. 1. exactis ff. de O. J. Et solebat Magistratus tunc hisce verbis rogare *velitis Jubeatis Quirites &c.* Populus autem respondebat in tabella, aut per **literam**

literam *A*, i.e. *Antiquo* vel per *UR.* i.e. *ut Rogas*, quod ex antiquorum plerisque locis intelligi potest, vid: Agell. lib. 10. c. 20. §. 5. Deinceps & in speciali ad huc notione lex capitur omneque; jus scriptum ambitu suo comprehendit, id quod patet ex §. 1. & pen. Inst: de J. N. G. & C. Nec enim potest aliud quid illic loci per vocabulum legis intelligi, quam Jus scriptum, si cum Antecedentia tum consequentia curatius ponderemus. Probatur juxta ex l. 6. §. 1. de J. & J. Et hac ratione omnino consuetudini opponitur Arist: 10 Eth. cap. fin. verbis *sicut in Civitatibus legum instituta & mores.*

§. 6. Tum vero & generaliter usurpatur pro *instituto* quolibet *Civitatis honesto* l. 1. 2. 7. l. 32. de LL. §. 10. Inst. de J. N. G. & C. Quæ ipsa conditio respicit materiam legis Paulus Laym. l. 1. tr. 4 c. 1. Et Isidorus lib. 5. c. 3. inquit, *Lex erit, quod ratione constiterit, religioni conveniat, disciplina congruat.* Nihil igitur interest, an scriptum fuerit, an non scriptum hoc Civitatis institutum l. 1. Cod: ne fidei. vel mād. dot: detur. Gentiū quoque; jus mox pro eo, apponitur quod *inter gentes & gentes* mutuam obligationem producit, & per ratiocinationem exseritur Conf. Grot. de J. B. & P. l. 3 c. 1. n. 8.

§. 7. *Divina* quoque; lex apponi solet pro *eterna, naturali & positiva* Illa dicitur, quæ DEUS omnia ab aeterno creare, & sustinere voluit *ista* quæ humanis est inscripta pectoribus, vel quam recta hominis conscientia absolvit Laym. lib. 1. tr. 4. c. 1. dicitans, quænam actiones bonæ sint, quæ è contrario malæ & quid fugiendum, quid amplectendum sit. *Hæc* (quæ et juris voluntarii appellationem fortitur) est quæ ex voluntate divina ortum habet Grot: de J. B. & P. lib. 1. c. 1. n. 15. sed quæ juris divini sunt, ad Theologorum scholas remittamus necesse est cum Dn. Böclero ad. Grot. t. h. p. 162 & D. à Felden p. 24.

§. 8. Offerunt se porro alii, qui quandoque; lege utuntur pro aliquo pacto quod, ineunt sæpius Reipublicæ clavum dirigentes cum iis, quos in potestate sua habent, de futura regni administratione. Ast nimis dura est hæc acceptio, & nimium impropria. Cæterum pacta illa fundamentalia ratione effectus non ineptè reducuntur ad jus naturale: ut quod de hoc statuunt *Moralistæ* non incongruè de pactis illis quoque; prædicari possit.

possit. Continetur; quippe in istis obligatio naturalis, quæ  
ad jus naturæ omnino referenda venit.

§. 9. Addunt & alii diffusissimum legis ambitum, quo  
denotent *omne institutum Civitatis s. justum s. injustum* cum lex  
latissimè sumpta non nisi iustum sit à Majestate promulgatum  
ac ita ex accidenti sit, ejusdem justitia aut injustitia. Et al-  
legant ad suam opinionem stabiliendam pessimum illud Sy-  
baitarum: *nemo nostrum bonæ frugi esto*, quod ipsum quoque  
legis valorem habuerit. Verum non est ad palatum hæc le-  
gis acceptio generalissima: sed illa, quæ recta præscribuntur.  
Sanctionem enim injustam legis nomine circum scribere i-  
ipsum rectæ rationis dictamen vix permittit. *Omniem sanè le-  
gem in suo debito significato acceptam justam esse oportet.* Et hæc  
conditio respicit *formam* legis, quæ servata præterea æquali-  
tate proportionis, subditis secundum eorū vires & facultates  
proponi amat. vid. Laym: lib. I. tract. 4. c. 1. Quare si Princeps  
aliquis frumenti sui pretium taxari jubeat, sic ut una civitas  
pars præscriptam æstimationem strictim sequi debeat, al-  
tera non, quis non hanc legem iniquam appellaverit nisi  
causa fortean aliqua subsit, quæ ejusmodi discrimen diserte  
postulet. Consuli quoque potest hæc de re Vasq. Controv. Il-  
lustr. disp. 155. c. 1. Accedit quod ipsa lex sit *jus: jus autem inju-  
stum esse non potest; cum jus dicatur quasi justum.* Ex quo con-  
grua satis sequela conficitur omnem legem (uti dictum) de-  
bere esse justam, scilicet ex parte objecti, præcipiendo rem  
honestam vel abs se vel ex fine, ad quem collimat. Potest  
autem lex duplici ratione justitiæ excedere cancellos: Una  
quia præcipit rem turpem & moraliter malam: alia quia licet  
Princeps præcipiat rem bonam, non tamen potest eam rem  
præcipere. Joh de salastractat. 14. de Legibus. Sect. 9. disp.  
1. Sed *ergone ideo necessarium est legem in commune bonum ordina-  
ri!* Multi reperiuntur qui *negative* subscribunt sententiæ, nec  
desunt etiam, qui pro *affirmativa* pugnant. Priorem qui fo-  
vent sententiam, hæc inter alia proferunt ratiocinia (1) *quia*  
*ex natura instinctu pateat quod in particulare ac proprium potius*  
*quam in commune bonum legem dirigant sancientes* (2) quia etiam

B

præce-

*præcepta dentur de singularibus actionibus, ergo satis sit leges in particulare bonum ordinari.* Sed respondent, posterioribus addicti partibus & quidem ad secundum quod spectat, dari quidem legem, quæ, ad singulare cuiuspiam bonum ordinatur, nihilominus illud singulare bonum ad commune statum referri, alias legem non satis æquam esse. Et adducunt similitudinem per quam majorem fidem suo asserto conciliare conantur. Nempe in *speculativis nulla veritas particularis conclusionem solidam facit nisi, quæ in prima principia resolvatur.* Ad primum revertere id habemus quod vitiosa lex merito audiat & in statu corrupto intelligatur lata, quæ privatam utilitatem pro cynosura agnoscit Dom. Soto. Lib. I. art. II. de justitia & jure apud quem etiam videri possunt, argumenta, quæ affirmative militent. Nemo autem iisdem legibus obedire tenetur, quæ nil nisi injustitiam sapiunt, quin potius omni illæ robore destituuntur L. 7. de legibus.

§. 10. Nos vero vocabulo legis minime in ejusmodi significationibus hoc loco accipimus, quas modo indigitavimus. Usurpamus potius in illâ significatione vocem legis quatenus *quamvis regulam justarum actionum infert* vid. S. f. J. de J. & J.

§. II. Hisce præmissis præmittendis devolvimur ad id, de quo hisce pagellis agere constituimus. Hinc statim asserimus Principem esse solutum legibus civilibus, *quæ talibus scilicet.* Quæ quidem restrictione omnino opus esse indubitata veritatis est: siquidem subtilem subtilis hic fabricat Bachovius distinctionem inter jus civile mixtum: & merum. Per illud intelligit Clarissimus vir, *cum aliquid ex jure naturali sumptum in Civitatem recipitur*, nam omne jus quo Civitates utuntur jus dici potest Civile, utpote si homicidia, adulteria, furta &c. sanctione civili prohibeantur. Atque huc refert, quod scriptum est in l. jus 6. de Just. & J. cum aliquid additur & detrahatur Juri Gentium, jus proprium civile effici, quod nimirum de Jure civili non merò sed mixto accipiendum est, cæteroque omnia pene Juris Civilis & positivi dicenda essent. *Jus autem civile merum nihil aliud est, quam quod ipsa hominum*

*minum ingenia excogitarunt*, cujusmodi varia LL. apud Romanam gentem, veluti *Caninia, Falcidia lex 12. tabellar* ea parte qua soli filii fam. ad Paternam hereditatem vocabantur adde  
Rittersh. ad d. §. 2.

§. 12. Ad stabiliendam vero nostram opinionem, quam de Principe fovemus, non parum inservit, quod nempe duo illa principia *cogens & coactum in uno subjecto concurrere neutiquam possint*. Et impossibile est etiam imperare sibi & prohibere se quatenus posse vid. *l. §. quis de LL. 3.* Præterea omnis lex sine coactione nulla est, & desinit esse diciq; amplius lex, nisi gaudeat hoc effectu. Sequitur proinde minime gentium Principem legibus adstringi propriis, & multo minus ad poenam earundem: nam poenam violentam ac valde involuntariam esse constat: Indecens autem est, supremum Principem invitum ad actum quendam sustinendum adigi. Eiusmodi ergo obligatio esset superflua, & frustranea, cum moraliter non possit ad executionem perducere, Quomodo n. cogi per sententiam aliave ratione potest qui superiorem non habeat? ante sententiam autem sicut Princeps obligatus non est ita nec obligari potest ad solutionem poenæ, post sententiam. Deinde talis obligatio ad poenam sibi inferendam, vel ab alio sustinendam per se est indecens Majestatis Regis, ergo nullo Jure inducitur. Id quod habet Joh. de Salas tr. 14. disp. XIV. sect. 3. Conf. potest Clarissimus Hornius de Civit. l. 2. n. 11. ubi eleganter declarat multis rationibus validissimis etiam nostram sententiam.

§. 13. Præter hæc suam vim communicat legibus Princeps alias nihil valerent, flocciq; penderentur. Potestas enim illa condendi leges ad nullum alium pertinet, quam qui habet jura Majestatis, l. si imperialis 12. C. de LL. Et est peculiare Jus Majestaticum, sicuti ex omnibus docemur Politicis. Facit vero hoc utiq; ut Superior, minime verò gentium ut inferior vel ut æqualis. Non hoc operari potest, ut *inferior*, quia sunt *implæ leges scita summa imo suprema potentia, ut earum metu humana audacia coerceatur* c. 1. dist. 4. Neq; facit illud ut *æqualis*, quia hoc modo *par in parem haberet imperium*, quod foret absurdissimum contra l. ille à quo 13. §. 4. ad. SC. Trebellian. Quin imo

constituerentur duo æquè summa, quod admitti nequit. Hæc  
quippe ratione eveniret, ut neutrum esset superius. Nam sum-  
mum est illud, quod præ omnibus habet prærogativam, seu ul-  
tra quod aliud præstantius numerari nequit Cic. lib. 2. Tusc.  
quæst. Concludendum igitur & quidem bona cum consequentia,  
*legem esse inferiorem & Principem Superiorem.* Inferior vero  
non potest præscribere Superiori. Et sic neq; lex Principi. Er-  
go *Princeps i legibus Civilibus omnino est solutus.* vid. Ungep. Exerc.  
ad Inst. 2. q. 5.

§. 14. Neq; hoc aliter Jure civili cautum sancitumq; re-  
perimus: ita in l. 31. de LL. disertis proponitur verbis, *Princi-  
pem esse solutū legibus.* Quæ verba sane de omnibus legibus civili-  
bus intelligenda sunt, quia per se sunt generalia, & sub titulo ge-  
nerali posita Ungepauerus ad Inst. exerc. 2. q. 5. Nā ubi lex genera-  
liter loquitur, ibi & nos generalē textus explicationē sequi debe-  
mus. Neq; id ad legē *Juliam & Papiam* est restringēdū propter inscri-  
ptionem, quia potius ita videtur argumentari *Jctus; Princeps  
legibus solutus est. E & solutus est lege Julia & Papiam.* Ungep. c. 1. verissi-  
mū præterea etiā est, ejusmodi argumētationes ab inscriptione  
legū petitas sæpissime fallaces esse ut colligitur ex l. ingenuū 25.  
d. statu hominū: cui adjungi potest l. res judicata 20. de reg. Jur.  
Quin imo rectè Coccejus ad dict. l. 31. p. 489. annotavit, pronun-  
ciatum hoc non ad eum præcise, cui inscribit Alexandrum Se-  
verum, Mammeæ filium respicere; sed potius ad omnes, qui-  
bus ad splendorem regalem aspirare datum fuit, pertinere.

§. 15. Insuper opinionem nostram magis confirmant, &  
Armissimum quasi addunt robur expressa *Divorum Severi & Anto-  
nini verba*, quibus sæpissime rescripserunt. *Licet enim, (in-  
quiunt) legibus omnino scilicet liberi simus, ut iis nos accommodare  
non cogamur, tamen ita nos gerimus, ut secundum earum nor-  
mam, & præcepta vitam nostram instituamus.* §. fin. Inst. quibus  
mod. testam. infirm. Neq; obstat nobis l. ex imperfecto 23. de le-  
gatis: quamvis n. Paulus asserat quod Principi decori cedat  
servare eas leges, quibus ipse solutus esse videtur: sed tamen  
non statim ad obligationis vinculum arguendum erat. Nec  
quic-

quicquam facit quod urgent & addunt nonnulli, dictionem demonstrativam: eas: manifeste implicare exclusionem quarundam: ex hoc n. expedire nos Labyrintho, in quem nos deduxisse Antagonistæ sibi somniant, facillime possumus. Cum sic implicentur leges naturales, neutiquam quædam civiles Conf Ungep, sup. cit. l.

§. 16. Quandoquidem modo Principem legibus solum esse pronuntiavimus, totius rei cardo versatur in hoc, scilicet ut nobis constet, quo modo hoc accipiendum veniat. Complures distinguunt inter vim legis coactivam & directivam Joh. de salas. de LL. *Lex enim est regula actionum directrix, tum etiam vi pollet coerciva.* Solo lib. 1. q. 46. art. 7. Notandum vero bene hic etiã est, quid per vim legis coactivam & directivam intelligant. Coactivam itaq; dicunt, quæ pœnam transgressoribus dicitur: directivam, quæ actiones hominum dirigit, eosq; in foro conscientie obstringit via: Lim. l. 2. c. 8. de J. 6. J. R. Conf. felvving. de LL. th. 91. p. m. 285. Respectu illius Principem solum LL. arbitrantur, non vero respectu hujus; Conclusionem manifestam satis esse referunt, quoniam coactio ejusdem ad seipsum esse non potest, non enim intellectu possibile, ut vim quispiam sibi ipsi inferat, atq; adeo se sua lege cogat. Quorsum allegant tenorem illius Regii verbi; Tibi, Soli peccavi, ut DEUM illic solum agnoverit idem Rex & Propheta David superiorem, & perinde est ac si dixisset interris nullum habeo, cui rationem errorum meorum debeam, & ideo tibi soli peccavi Unde & respectu LL. civilium Deo Principes peccare nonnulli conficiunt. Vide Dom. Sot. de J. & J. 1. q. 6. art. 7. Sunt etiam qui hanc adhibent distinctionem, inter leges ut leges sunt, & ut sunt rationes. Reges non quidem teneri leges servare ut leges existimant, interim tamen teneri adjunt servare eas ut rationes. Non enim sequi necesse esset ut qui legibus solvatur, idem statim à ratione absolvatur. B. Jacob. Mart. l. 2. Polit. c. 10. p. m. 6. 17. Sed profecto re penitus ad amussim pensata, priorè illà distinctione lubrico inniti fundamenti *υψαλμοφωνως* patet. Hinc jure meritoq; consentio *Clarissimo Hornio* qui Lib. 2. de Civit. CXI affirmat dilerte vim omnem ade-

oq; & directivam coactionem includere. Adversari quidem adhuc quodammodo videtur l. 3. de testam. ubi mentio duntaxat injicitur solennium juris, quibus lex Imperii Imperatorem solverit: Verum relegendum esse censemus, non omnia ibi negotia recenseri, quibus solutus vivat Princeps: sed pro illo argumento saltem solennitatibus Juris civilis Principem absolvi Conf. Coccej. ad L. 31. de LL. Dn. D. *Martini aliàs absolutissimi Theologi & Philosophi* distinctionem eatenus lubentes admittimus si per rationem dictamen juris naturalis intelligat quod sequi omnino Principem oportet.

§. 19. Inveniuntur alii cujus opinionis & supra mentionem injecimus in foro quidem externo Principem legibus Civilibus liberum esse permittentes inconscientia tamen iisdem omnino teneri existimantes; Quam opinionem defendit *Andreas Gerbard. Exerc. Justin. Dec. I. quest 7.* ubi in hac prorumpit verba; *verus ac bonus Princeps ex conscientia sua, ex honestatis, utilitatis ac salutis publicae, ex officii, virtutis, rationis recte consideratione, exempli publici gratia obstrictum se legibus, profiteatur. Quem, si de merè civilibus intelligi vult ex fundamentis Hornianis, quæ nobis lib. 2. c. 2. n. XI. communicat, refutare licet. Dicit quippe h. l. hanc obligationem vel à Deo, vel Jure naturali, vel Populo, vel ipso Principe ortum habere necessum fore. Divinum autem Jus, quoniam circa res merè Civiles nihil disposuerit, neq; ad observationem positivi Juris conscientiam legislatoris obligare poterit. Jus naturale etiam ignorat merè Civilia. Populus Nomothesia carens nullà modo Majestatem devincire valet. Principem se ipsum legibus circumscribere absurdum foret. Quapropter facile concludendum citati Autoris sententiam nullo firmo stare ralo, proptereaq; nec fovendã, nec amplectendam esse.*

§. 20. Quando autem Principem omnino liberum à legibus merè positivis & civilibus esse diximus, id de ipso legum vinculo s. obligatione exaudiendum est. Nam princeps si ipse incedat secundum suas promulgatas leges maximè majorem earum religionem incurit subditorum animis. Et sane *Decorum aliquando est secundum regulam Civitatis in cedere: necessarium*  
baud



*haud est.* Horn. l. 2. de Civ. n. XI. Nimirū hoc ipsum est, quod in supra dicto §. fin. J. quib. mod. test. infirm. dicitur, Principes legibus vivere, suo exemplo rectè præ ire subditis. Huc respexisse sane videtur *Claudiamus* qui in Paneg. de quarto Consulate Honorii ita canit.

Totus componitur Orbis

Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus

Humanos edicta valent, quam vita regentis,

Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.

Et in laudibus Stilliconis Paneg. I.

Scilicet in vulgus manant exempla regentum

Utq; ducum lituos, sic mores Castra sequuntur.

Quapropter si pietatis amans, si virtutū observantissimus fuerit Princeps, plerumq; etiam Subditos tales deprehendunt: Si vero mali sunt Principes, non solum vitia perpetrant ipsi; sed ea in fundunt in aulam, non sibi tantum; sed plurimis aliis plusq; exemplo, quam proprio peccato nocent. Strigel. in orat. de Esaia. *Nulla n. inquit Gregorius Nazianzenus in quadam oratione, tam preparata imbuendo vestis ad colorem, neq; tam idonea ad odorem recipiendum, neq; tam pestilens halitus ullus in aere diffunditur, cujus contagione animantes inficiantur, quam solet celeriter principum virorum pravitate atq; vitiis compleri vulgus, multo quidem citius quam e contrario virtute.* Exempla equidem complura hic recensere haberem, nisi instituti nostri ratio poneret obicē. Distingvimus potius hujus controversi telā pertexturi inter necessitatē *expedientia & exigētia*. Expediit Principē leges servare, ut Nævinius Cōsil. ait. ap. Lip. l. 26. c. 36. Si quid injungere inferiori velis, id prius in Te ac tuos si ipse juris statueris, facilius omnes obedientes habeas, quod experimentum tamen ita necessarium non est ut ad illud superior cogi queat. vid. l. 3. C. de testam.

§. 21. Controvertitur quoq; gravissimè inter Dd. *an obligatus sit Princeps probare facta sui Antecessoris!* Distingvendum hic est, an Princeps succedat in locum Antecessoris, *tanquam hereditarius, an non, sed ex Jure proprio.* Si Jure hereditario  
succes-

succedat, verisimile est teneri. arg. l. 14. Cod. de rei vindic: si vero electione euectus est ad dignitatem illam omnino eum regulariter eò non adstringi asserimus: ut si summus succedat jure electionis ex lege, in dignitate, & sceptio, aut dependens ex causa particulari, v. c. dotis, emptionis &c. Ratio hæc est, quia suam causam non habent ab antecessore sed jure proprio vel à primo acqvirente, vendente, donante & sic porro. Excipiuntur tamen quidam casus de quibus consule Hahn. ad Wesemb d. de Constitut: Princip. p. 149. Distingvimus deinde etiam inter facta ratione officii celebrata, & inter ea, quæ Imperatoris officium omne excedunt, priori casu tenetur, non v. posteriori. Hic etiam non incongrue immisceri posse illud arbitror: an Principi Antecessoris sui mortui domesticos & familiares mutare liceat? Affirmativæ sententiæ nostrum addimus calculum, si attendamus ad plenam ejus potentiam & Majestatem. Cum v. illud in mentem revocamus, quatenus commodum secum trahat, aliter respondemus, statuentes non semper & ubivis etiam conducibile esse, quoniam illud omnibus sapientibus periculosum visum fuit, nec nisi cum bona venia & sine contumelia faciendum, aut certe prius exarmandos, qui opibus & gratia statum Reipublicæ conturbare posse videbuntur. Joh. Bod. l. 4. de Rep. c. 3. p. 669. Quod cum Imperator Galba minime providisset, ac Pisonem in spem Imperii ad optasset: Ocho, qui Prætorianorum militum opibus & gratia florens & potens erat, cum se neglectum cerne- ret, Galbam & Pisonem ea fine ut solus regni habenas capesce- ret, trucidavit. Colligere abhinc licet, quantum detrimen- ti secum ferat ejusmodi male præmeditatum ac princeps plane consilium.

§. 21. Cæterum Principem ab obligatione legum absol- vimus, si modo alii non faciat injuriam hac sua immunitate sed saluum jus tertii perstetq; ac duret. Neq; n. effectus absoluti- onis fuerit ut Principi facere liceat, quod lubet, etiam cum in- juria alterius, quod Jcti evincunt ex l. 53. de leg. ubi sanciunt ex imperfecto testamento taxata vel fidei commissa vindicare Im- peratorem in verecundum esse; item in l. per de hæred. Instit. Im-  
pera-

peratorem litis causa heredem institui, invidiosum esse, nec calumniæ facultatem ex Principali Majestate capi oportere. Ad rem hanc pariter illustriorem reddendam magis facit l. 7. Cod. qvi test. facere poss. in qua lege dicitur quod Imperatore (vel Augusta) institutis heredibus non peculiare aliquod sed commune jus habere jubeantur cum cæteris additq; idem de codicillis & fidei commissariis epistolis jure scriptis notandum esse. Adde Coccejum p. 499.

§. 21. Porro eò dementiæ nonnulli pervenerunt, ut putarent, Imperatorem ex hac causa non posse solum esse legibus hodie ac olim, quia non amplius sit, in eo loco, ac olim Princeps Romanus fuit. Sed quicquid sit, licet si attendamus ad Jura Majestatis Imperator non omnia solus obtineat, sed plurima participant simul Ordines Imperii, tamen exinde non sequitur, illum minimè solum esse legibus, siquidem hoc nullo est obstaculo, potius affirmandum censeo Imperatorem respectu Imperii, viq; suæ, qua pollet dignitatis, omnimodo legibus haud obstrictum nominari posse. Vide Coccej. ad L. 31. de LL. p. m. 501. E-  
nimvero cõcessurum mihi quælibet facile cõfido, Imperatores omnibus iis adhuc gaudere & frui juribus, quæ Jure Nostro Romano Imperatoribus leguntur concessa, nec postea tacitè vel expresse adèpta arg. l. 32. in fin. C. de Appell. l. 26. 27. 28. ff. de LL. Si in hoc mecum consentientem quæ habeam, necessario & ille asserere re debet, id de quo in præsens noster sermo instituitur. Et quod legibus solum potestatem habeat Princeps corroborat magis ejus Majestas, quæ gaudet ut testantur Imperii Constitutiones, & ordinatio Caneræ infinitis locis, testantur idem indies Imperii Proceres.

§. 22. Quin & ipsi Electores ac Principes Imperii legibus, quas ferunt, Provincialibus non adstringuntur. Extra omnem quippe dubitationis aleam positum est, Principes Romani Imperii, ut & quosdam ex Comitibus & Baronibus, ex concessione Imperatoris plenariam & omnimodam Jurisdictionem cum omnibus pertinentiis & Superioritate territoriali, die *hohelands* fürstliche Obrigkeit/ mit allen gerichtten Oberst/ mittelst und niedrigsten/ mit allen ihren Ehren/ wörden/ freyheiten/ Nutzen/ und

C

just.

zugehörungen acqvisitam habere. Conf. knich. in comm. c. 4 fol. 119. Roland. à Valle consil. r. n. 115. & id genus alios. Exercent v. hanc Jurisdictionem & superioritatem non ad nutum s. voluntatem Imperatoris, sed proprio Jure, adeo ut & gratiæ DEi suum Principatum, Dominatum & superioritatem adscribant, id quod in Gallia absq; crimine Majestatis nemo Principum scribere audeat. Mons. de seraz, l. 17. Invent: Quod spectat ad horum Principem Jura Majestatis, nec ea flocci pendenda sunt. Habent enim *liberum exercitium Religionis* de anno 1535. S. Und dicit solcher friede. *Jus fama restituenda, Jus salvi conductus jus remittendi pœnas capitales* quæ juris sunt positivi &c. Divulgatum & tritum satis est inter Doctores Juris Publici traditum, quod Principes Imperii tantum possint in suo territorio, quantum Imperator in Imperio. Quod ita intelligendum, ut perhibet Liebenthal exerc: 9. quæst. 2. Colleg: Pol: Imperii Principes tantum interitoriis suis posse, quantum Imperator in Imperio, scilicet, quæ veniunt ordinaria Jurisdictione & Superioritate territoriali, non vero, quæ veniunt absoluta Superioritate Imperiali. Sic enim adhuc multa sibi reservavit Imperator, quæ transferri non possunt Ita enim sese res habeat cum privilegiis & concessionibus ejusmodi, ut vires potestatis Imperatoris non minuantur, nedum extinguantur. Æneas Sylvio de ort: & autorit: Rom. Imp.

§. 23. Hactenus quantum per ingenioli ruditatem licitum fuit, explicatū est, Principem legibus positivis & Civilibus solutum esse; Sequitur jam, quid de divinis statuendum sit. Nullis itaq; difficultatum laqueis hoc dubium intricatum esse apparet evidēter. Luce siquidem meridiana clarius est, Principem legibus divinis hoc, est, jure naturali necessario & voluntario æque ac quemlibet alium teneri, nam illa jura sunt supra Principem, adeoq; observare eadem omnino obligatus est. Quin & recognoscit à DEO suum Imperium quilibet Imperans: ergo & ejusdem Jussibus obedire ipsum fas erit. Nam quod ejusmodi Princeps habeat Majestatem, habet eundem in respectu ad subditos, in respectu vero ad DEUM tantum est vasallus Unde Horat: lib. 3. Od. 1. Reges

*Imperium est Jovis.*

*Jus præterea naturale ita, inquit Horn: lib. 2. c. 2. n. 10. p. 216. naturam intelligentem stringit, ut nullo modo vinculum obligationis à quoquam possit separari. Nam cum divina Sanctitas sibi ipsi regulæ instar sit, & aliis sui imaginem imprimat, sine negotio patet, nisi destructa Sanctitate divina, Jus naturale non posse, destitui. Plurima lege ap. cit: Clar. Horn. Hoc quoq; accedit, ipsa jura naturalia immutabilia esse & divina providentia constituta §. II. J. de J. N. G. & C. Si igitur sunt immutabilia, quomodo & quo jure quis immutare ea poterit. Hinc adeo Jus naturale immutabile pronuntiatur, ut ne à DEO quidem immutari possit. Hoc quidem verum est, immensam esse DEI potestatem, & potentiam, attamen quædam dici possunt, ad quæ se illa non extendat, quia quæ ita dicuntur dicuntur tantum, sensum autem, quæ re exprimat, nullum habet, sed sibi ipsis repugnat. Sicut ergo ut bis duo non sint quatuor, ne à DEO quidem potest effici, itane hoc quidem ut quod intrinseca ratione malum est malum non sit. H. G. lib. 1. cap. 1. n. 10: quæ verba Grotii cum mica salis accipienda esse, rectè Feldé fol. 18. monet. ad datur Magnif. Ziegler ibidem in notis ad Grot. d. 1. fol. 54.*

§. 24. Alligatum ulterius profitemur Principem Juris Gentium, in fine th. 17. quod inter gentem & gentem, ex ratione naturali usu venit. Talem obligationem nobis ob oculos ponit Jus Legationum. Quod jus in ipso jure naturali & æquitate ita fundatum est, ut illud violare non injustum tantum sit, sed et impium omnium confessione, ut ait Phiippus in Ep. ad Athenienses. Præter hoc ejusmodi obligationes parit quoq; jus foederum, quo ita invicem gens genti arctissimè obligatur, ut extra peccati notam illo rumpi non queant. Sicut enim singuli homines sceleribus non sunt lacerandi, ita nec tota gens irritanda est: sicut singulis hominibus fides servanda, ita & Universis gentibus. Si igitur in uno & altero aliquid committi Princeps, quod excedit limites hujus-Juris, graviter delinquit

fol.  
cent  
vo-  
DEI  
ant,  
um  
ho-  
Ha-  
Und  
us jus  
lga-  
m,  
van-  
um  
berii  
ator  
Su-  
berri-  
npe-  
um  
npe-  
lvi9

lici-  
bus  
sit.  
esse  
inci-  
lun-  
upra  
Qvin  
ergo  
jus  
ectu  
illus  
eges

& actiones ejus, quæ scilicet contra hoc jus currunt, fiunt de facto non de jure. Nam jus Gentium non dependet ab unius voluntate, proinde non potest ab eodem solvi. Ex intima natura Rerum publicarum proficiscitur: nec solvitur nisi destructa societate Civili. Conf. Horn: 1.2.c.2 n.10. Obstat quidem nonnulli existimant servitutem, quæ quoque natales suos Juri Gentium debet, interim tamen potest mutari. Et ex hinc in ea versantur opinione quidam & alia ex Jure Gentium fluentia, quæ est Jus Legationum & foederum, mutationem pati. Verum ad hanc objectionem duplici modo respondere possumus. Vel quod servitus fuerit iterum sublata communi gentium approbantium consensu: vel quod servitus potuerit iterum mutari, quoniam non adeo in Jure naturali fundatur ac quidem Jus legationum & foederum. Ipsa enim ratio hoc mihi dicitur, *Legatos debere esse inviolabiles sed ara semel inita sanctissime esse servanda.*

§. 25. Quemadmodum v. Principem tam *legibus divinis, quam etiam* iis, quæ promanant ex Jure Gentium alligatum, esse demonstravimus, consimilem in modum & illi *legibus s. pactis potius fundamentalibus* obligatum esse sciendum est. De hoc vero, ut de omnibus aliis etiam dissentiunt complures. Sunt nonnulli, qui & ab illis Regem solutum esse credunt hoc moti potissimum fundamento, quoniam lege Regia Princeps habuerit omnem potestatem ergo etiam in omnes leges. Lege Regia Princeps solutus est legibus quæ propter præsumitur eum omnibus legibus, & sic fundamentalibus solutum esse Jac. Mart. lib. 2. Polit. pag. m. 620. Hinc Cellarius autem at penes illos non posse esse Majestatem, qui teneantur legibus fundamentalibus c. 7. lib. 2. Polit. §. 17. At ut eo melius hanc quæstionem decidamus, operæ pretium fore existimo, si prius indicemus *leges fundamentales duplici respectu sumi. Quædam præscribunt modum succedendi, ut privent Principem potestate de successione pro lubitu disponendi; quædam v. determinant Principi modum gubernationis.* Jam quamvis Utrisque Princeps teneatur servare, quia ita cum Proceribus convenit, juravitque tamen easdem ejus summitati Imperii derogare quicquam negamus, cum supremus in Imperio nihilominus maneat  
ut ut

ut ut plenitudini exercitii derogare non inficiemur. *Quemadmodum enim candela vitrea inclusa capsula, aequae ac si contra eandem posita lumen spargit suum, ac hoc modo conservatur, ne ventis hinc inde exposita & utingatur aut diffuat: ita Majestatis splendor circumstante, at non obstante Capitulationis pacto, lucidus apparet, munus tamen hac ipsa, ne favoris adulationum admissis prona licentia pereat, & summam denique patiatur Eclipsin.* Limnaeus de J. P. lib. I. CXII. n. 37. Neque immerito eas Princeps sanctissime servat, praeterquam n. quid grave sit fidem fallere l. i. pact. l. i. de Constit. Pec: ex ejusmodi pacto obligatio naturalis h. e., juris naturalis procedit, quo quidem solutum non esse Principem supra asserimus.

§. 26. Illud hic loci adhuc quaeri poterat, *num Princeps ob casum eximiae utilitatis possit transilire Juris divini praecepta?* Nos hocce minimè licitum & tolerandum esse existimamus. Quicquid enim in voluminibus sacrosanctae Scripturae faciendum vel omittendum nobis propositum est, illud praestare neque recedere ab isto obstricti vivimus, quotquot sumus per totum terrarum Orbem, nullo excepto sive sit Princeps sive Rusticus. Et pone, quod tamen nondum concessum, in totius Reipublicae aliqua retundare exinde videretur utilitas, non vera tamen foret utilitas, sed exteriori aspectu tantummodo palliata. *Nec etiam facienda sunt mala, ut eveniant bona, non committendum est furtum ut miseris hominibus opitulari queam.* Sed dicat quis omnes Principis actiones in Reip. totius emolumentum dirigendas esse, ergo & tale factum excusari poterit. Neutiquam. Debet eo quidem dirigere omnia Rex, quae cumque facit, ut promoveat Reip. commodum, sed tamen respicere debet, an justum, an honestum, an licitum sit quod suscipi debet negotium, alias potius abstineat ab iisdem manus.

§. 27. Sed quid tunc respondendum, *si necessitatis casus obvenerit.* Exepli causa accidit, ut ferox idemque omnibus opibus satis instructus hostis, a quadam Rep: quae sibi viribus impar deposcat Civem innocentem, promittens ab obsidione se recessurum esse, si petitioni ejus detur locus tradaturque Civis, ergone ideo

tum

tum poterit dedere innocentem, contra Juris naturalis scita Princeps, ut Reip. consulatur? Minimè gentium impium esset & contra præcepta Juris naturalis pugnaret, si homo studio & data opera aliis trucidandus relinquatur Et impossibile est, id quod per se intrinsecè malū turpeq; est per superveniētē necessitatem posse reddi licitum. Et hæc sunt B.L. quæ in medium proferre de hoc themate potui. Lubens vero fateor, quam plurima esse, quæ concinniq; pertractari potuissent, sed quod minus id præstiterim, partim ingenii exilitas, partim hujus instituti, ne scilicet in nimium excrescat ratio effecerunt. Interim *Divino Numini immortales* decanto grates pro concessis viribus ad hunc discursum elaborandum. Sit igitur.

DEO SOLI Gloria



GENEROSE atq; NOBILISSIME

à GERSDORFF,

Amicæ Perdilectæ;

PRincipem latè regnantem solum esse Legibus, & vis Ejusdem Imperii, & subditorum obsequii gloria ostendit. Thema hoc, quod viribus tuis confidens bene claborasti, à Divino, Naturali, Gentiumq; Juribus, ac intimiori Politicâ JURIS PRUDENTIA ROMANA mutuata est, quia Divini, Naturalis, Gentiumq; & Civili Prudentiæ præceptis abundat. Nolim credas, illum Juris Consulti mereri posse nomen, qui in carcerem solius privati Juris sese includit: O si Artis Romani Juris Professoribus tales moti juvenes dentur, qui cognitione græcæ aut minimum latinæ lingvæ, studiisq; Philosophiæ instructi, ad Illorum pedes quotidiè sederent, profectò in Majori pretio illæ Rei Publicæ scitu Maximè necessariæ Leges haberentur; sic enim cum hisce comparatum est ut gravissimis, materiebus, etiam



etiam juris Publici, tractandis sufficient, aut egregia  
argumenta suggerant. Ipse CL. CONRINGIUS, qui  
nunc propius JURI ROMANO favore suo accedit,  
hujus utilitatem æqvitatemq; laudat; legas velim serio  
in Libro Uno de Civili Prudentiâ. cap. III. §. VI, circa  
fin: & TU, GENEROSE à GERSDORFF, dum per bre-  
ve tempus hanc JURIS PRUDENTIAM degustasti,  
PRINCIPEM-TUUM SOLUTUM-LEGIBUS, non mi-  
nimam partem ex eâdem probas; jam si per certum  
tempus huic studio immoratus fueris, ( desultoria e-  
nim ingenia sibi ipsis nocent ) affirmatissimè scribo,  
Thesaurum in Aulis exponendum habebis. Cæterum  
non condemnendus TIBI labor erit, si impofterum se-  
dulò legeris HIPPOLYTIÀ COLLIBUS PRINCIPEM;  
nec ab uno, quin etiam. Nicolai Machiavelli PRIN-  
CEPS per legi possit, cauto tamen opus est, proinde à  
DN. CONRINGIO ad Eundem concinnatas egregias  
Animadversiones Politicas unâ adjungas, sic castratus  
Machiavellus nihil monstri alet. Hæc TE, Nobilissi-  
me Juvenis, me audientem monere volui: faxit JESUS  
NOSTER, ut indies pietate & Sapientiâ crescas. Dab. è  
Museo meo d. V. Augusti: Anno 1668.

Joachimus Merger D. & Prof.  
Pandect. Publ.



**A** Sfidui fructûs spectatos hisce laboris  
Das Fructûs hujus fructus & alter erit.

*Ita Nobilissimo ac maximè generoso Dno  
de Gersdorf. gratulatur  
Conradus Victor Schneider  
D. Prof; P. &c.*

Gene-

# Generose GERSDORFI

Fautor Amicissime,

Qvamvis quod discutiendum Tibi in præsens sumpsisti thema, semel iterumque fuerit pertractatum; non minori tamen inde laude mihi videris dignus. Frustra enim sunt qui ex rara vel frequenti materiæ velitatione, earum dignitatem æstimare præsumunt. Haud vulgare negotii ardui argumentum est, repeti ac recoli sæpius. Et cum non uno ictu ingentes arborum moles cadant, fovendi omninò sunt, qui opus jam coeptum pergunt. Quam variè Auctores sensere hactenus, quando in Principum potestatem inciderunt, de vinculo legum? Alii velificati nimis sunt eidem, subruere fermè eandem conati alii. Quid tandem? Tu es, mi GERSDORFI, qui medium tenere didicisti. Qui sic reverenter habes majestatum axiomata, ne inde querendi materia suppetat subditis. Atque hinc summa omnia nobis non immerito promittimus de Te, qui & morum decore & candida vultus venustate omnium favorem facilè in Te convertes. Gratulor ex animo insigne hoc specimen, fausta omnia ac prospera in futura studiorum spatia apprecans. Vale.

*Dabam ex meo Musæo 1. die*

*Augusti 1668.*

*Tuus ex asse*

Præses.








X2615925

VD17





15530.

12.  
19  
25

Q. D. B. V.

# THEMA JURIDICUM

*ex L. 31. ff. de LL. & S. fin. J. quibus modis  
testam. infirm.*

## Principem Legi-

bus esse solutum,

Indultu Magnif. Jctorum VVitteberg. Ord.

PRÆSIDE

VIRO

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTISSI-  
MOQUE

DN. GODOFREDO Strauß/

J. U. Licentiatō

Fautore atq; Præceptore suo per-  
petim colendo,

*publicæ ventilationi subicit*

ad diem Augusti Anno 1668.

WOLFGANGUS ABRAHAMUS

de GERSDORFF, Eq. Lus.

Stanno Hakiano.

